





1701.

1^{at} Coccejus, Henricus: De sociis criminibus. 2 Impl.

2^{at} Coccejus, Henricus: De vero verum pretio. 2 Impl.

1701 - 1712.

3^{at} Coccejus, Henricus: De fundo hereditario mixto. 2 Impl.

1701 - 1712.

4. Coccejus, Henricus: De legato rei propriae et alienae

5. Coccejus, Henricus: De cumulatione possessionis et
pactionis

6^{at} Coccejus, Henricus: De eo, quod iustum est circa
inquisitionem in autorem rixae, si de occasione
non constat. 2 Impl.

7^{at} Coccejus, Henricus: De matrimonio momentaneo.
2 Impl. 1701 - 1735.

8. Rhodius, Michael: De unione proli sine praetore.

9. Schnelzen Spulbecki, Johannes: De pretio succedente in locum
rei singularis.

10^{a, b}
= Schulz-Gelecker, Joannes: De legato rei inestri
mabilis.

11. Schulz-Gelecker, Joannes: De juris dictione personalis.

12. Thiele, Joh. Petrus: De jure absentium

13^{a, b, c}
= Thiele, Joh. Petrus: De restitutione hereditatis
fideicommissariae 3 exempl.

14. Vehr, Frenacus: De mania.

15. Vehr, Frenacus: De arthritide vaga cum
incipiente phthisi in calculoso

LIBRARIUM BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS
SOCIETAS CRIMINIS,

DR. HENRICO COCCHEJO

PROFESSORIS
IN UNIVERSITATE
SACRAE THEOLOGICAE
FACULTATIS JURIDICAE
PRINCIPALIS
UNIVERSITATIS
MAGISTRO

IN UNIVERSITATE
MAGISTRO
SACRAE THEOLOGICAE
FACULTATIS JURIDICAE
PRINCIPALIS
UNIVERSITATIS

Johann Baptistus a Brock.

LEIPZIG
H. Brockmann

erbr
mal
is
4
2
3
9
2
8
9



H. S. num. 27.
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 1701, 3a

DE
FEUDO HEREDITARIO MIXTO,

QVAM
DIVINI NUMINIS AUSPICIO

Ex DECRETO ET AUTHORITY MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRIS VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JURECONSULTO CELEBERRIMO,
SERENISS. ET POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSI-
LIARIO, & AB AULÆ REGIÆ CONSILII,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO, PROFESS. PRIMARIO,
& h. t. FACULT. JURID. DECANO,

ANTEA
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGI REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.

PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,
DN. PATRONO ac FAVORE SUO AD CINERES DEBITA
OBSERVANTIA COLENDO,
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES AC PRIVILEGIA
ritè ac solemniter consequendi,

Die XVI. Julii An. MDCCI. Horis ante- & Pomeridianis,
Publice Disquisitioni offert

JOHANN FRIDERICUS Säger/
Müncheberg. March.

Francofurti ad Viadrum, Literis Christophori Zeitleri.



DISSERTATIONES IUDICIALES

FEUDO HEREDITARIO

IN DECISIONE APOSTOLICA
IN VERTUTE APOSTOLICA

FRANCISCO COCCO

DE IURISDICTIONE
ET APTITUDE

DE IURISDICTIONE
ET APTITUDE

DE IURISDICTIONE
ET APTITUDE

DE IURISDICTIONE
ET APTITUDE

DE IURISDICTIONE
ET APTITUDE



DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
FEUDO HEREDITARIO MIXTO.

§. 1.



Uccessionum apud varias gentes varia ratio, & vix quicquam est in jure quod crebrius mutatum fuerit, nihil cujus inter gentes quoque minus constiterit ratio, quam succedendi ordo: Uti solent quæ à natura non satis definita, eoque hominum arbitrio relicta sunt, in irfinitum, & toties propè

variare, quoties populorum fines. Uti enim gentes & populi studiis, indole, affectu, habitu, cultu, & cæteris moribus non minus quam cæli regionibus & terrarum limitibus inter se disident, ita & quæ suo arbitrio jura fingunt, in immensum discrepare facillè intelligitur.

§. 2. Sed & in eodem populo, uti aliis temporibus alia studia, alii affectus, ac habitus, & alii propè civium animi sunt, quin & alia Reip. facies, ita & alia jura. Quantum enim distat, ut alia jura præteream, illa succedendi ab intestato series, quam recensuit Justinianus

A

in

in *Nov. 118.* ab antiqua illa, quæ *LL. XII. Tabb.* introducta, sub libera Rep. obtinuit, & , quibusdam immutatis, explicatur in *Tit. Instit. de Hered. quæ ab intest. & rit. seqq.* Quoties jura de liberis exheredandis mutata sint, refertur in *princ. & §§. seqq. Inst. de Exher. lib.* ubi plures variationes recensentur: neque tamen ibi substitit Imperator, sed per *Nov. 115. cap. 3. & s.* magnam denuo varietatem induxit. Unde, nisi quòd natura ipsa rei huic certos limites dedisse non videatur? Quanquam illo figendi refrigeriò; Leges pruritu vix alia Reip. perniciosior pestis excogitari possit. Leges etenim civiles perpetuò observatæ, in memoriam, in consuetudinem, in religionem, quin in naturam propè abeunt; recens mutæ ac novæ cum ignorantia tum ediscendi advescendique fastidio negliguntur, & ipsa mutandi facilitate evilescent.

§. 3. Etsi verò unanimibus omnium suffragiis in id itum fuerit, ut liberi tamen parentibus suis succedant, & aliis omnibus præferantur, quippe quos natura quoque ad hereditatem vocat; *L. 15. pr. ff. de inoff. test. L. 7. pr. ff. de bon. damn. Nov. 118. in praf. & cap. 1. & c.* referuntur tamen & Gentes, quæ illud quoque jus interturbârunt, & , exclusis filiis, fratres prætulerunt, specie majoris ætatis. Quod Arabes sanxisse, & Æthiopes in successionebus regni observâsse dicuntur. *Alex. ab Alex. Gen. dier. Lib. 6. cap. 11.*

§. 4. Sed & , licèt eadem natura nunquam in successionebus scæminas masculis, sæpe verò hos illis præferat; ad imperia verò solos masculos vocet, atq; hæc virilia sint officia, tamen Lycii & Cantabri, illi Asiæ minoris, hi Hispaniæ olim populi, sexum quasi commutârunt, & solas filias, exclusis filiis, ex asse heredes fecisse dicuntur. *d. cap. 11.*

§. 5. Nec minus à naturæ rationibus deflectere videntur, qui ipsa imperia & regna ad leges hereditatis exigunt; quin & nominibus *Domini, Patrimonii, Ususfructus &c.* nimium abutuntur, qui ea ad imperia transferunt, cum, genuina notione, consumendi quoq; & abutendi vim ac potestatem complectantur: *L. 21. C. Mand. & propriæ utilitatis tantum sensum habeant, quod ab imperiorum sanctimonia maxime abhorret, quæ juribus civium ac civitatis, privatis ac publicis, tuendis sacra potestas est: unde & Aristoteles cum communi DD. schola dominatum à justis imperiis dum segregaverit. Vid. Arist. lib. 3. Polit. cap. 7.*

§. 6. Non mirum igitur, successio-
num materiam, inprimis ubi de imperiis agitur, tot difficultatibus impeditam, tot scrupulis, spinis, tricis, asperam hispidamque videri, ut, quoties contingit ut Rex improlis deceserit, vix unquam sine lite ac motibus & partium potentium contentionibus procedat successio. Cujus utique rei fidem Hispanicorum regnorum casus & exempla faciunt. Quam variè enim, quantisque motibus ibi de successio-
num juribus disceptatum decertatumque fuerit, pluribus refert Marian: *Rer. Hispan. Lib. 19. in fin. cap. 1. usq; ad cap. 7. & cap. 18. & 19.*

§. 7. Poterit verò hodie omnis in univ-
ersum successio ad duo genera referri; ut alia sit hereditaria, alia feudalis. Equidem jure communi una tantum est successio ab intestato, quam temporibus maxime variasse diximus. §. 2. *prec.* Nec naturali jure alia quam illa, liberorum est. *Vid. Dn. Presidis Posit. Jur. Nat. Posit. 10. Conf. prac. §. 3.* Moribus tamen accessit alia, feudalis scil. successio, quæ plurimum ab altera distat, & triplex inprimis differentia utriusq; successio-
nis occurrit.

currit. *Vid. Dn. Præsidis Hypomn. Jur. Feud. Tit. 3. §. 26.*

§. 8. Primum enim, in feudis non succedunt promiscue heredes, sed illi tantum ad quos specialiter lege vel moribus extensa fuit successio, scil. soli liberi masculi: cujus successione origo inde nata est, quod feudorum nulla olim fuerit successio, sed primum arbitrio Domini, quasi precarium quoddam; deinde morte Vasalli, ceu quidam ususfructus: feuda deserint, sensim verò deinde ad filios, aliosque liberorum gradus, & denique ad omnes primi Vasalli liberos masculos extensa est. Solum igitur descendentes in feudum, quod primus adquisivit ut familia ejus conservaretur, succedunt; & quidem soli masculi, quia originarie feuda militiae causa dari solebant. *Vid. 1. F. 1. §. 8. & ibi DD.* Unde soli liberi masculi jure feudali heredum nomine veniunt. *1. F. 13. §. Est Clientulus. 2. F. 34. §. Profecto.* Neque igitur vel collaterales vel ascendentibus primi Vasalli ex natura feudi succedunt, *2. F. 11. & 50.* nedum extranei testamento scripti: *1. F. 8. pr.* Nec adoptivi, *2. F. 26. §. Adoptivi.* nec per rescriptum Principis legitimati *2. F. 26. §. Naturales.*

§. 9. Altera differentia est, quòd successio hereditaria fiat in universitatem jurium, seu in omne jus defuncti, activè & passivè, i. e. in omnia ejus commoda & onera, realia ac personalia seu æs alienum. *L. 62. L. 108. ff. de R. J. L. 2. C. de Hered. vel Act. vend. quin & in pœnam aliquando. L. 2. ff. ad L. Jul. Repetund. L. 2. ff. ad L. Jul. Pecul. L. 20. ff. de Accus.* *Vid. Dn. Præsidis Disput. de Oblig. Hered. ex delictis defuncti. Sect. 4. §. 30.* adeò ut heres ipsam defuncti personam exprimere ac referre videatur. *L. 2. §. fin ff. de Prat. Stip. L. 50. de R. J. Nov. 48. in pref.* At feudalis successio est in rem singularem, scil. in feudum,

dum: unde non succeditur in æs alienum vel onera, nisi quæ feudo ritè cohærent: 2. F. 45. uti die Lehnschulden/ de quibus vid. Struv in Synlag. Jur. Feud. cap. 14. atq; adeo universitas jurium videri nequit.

§. 10. Tertiùm denique differunt, quòd omnis hereditas sit successio in jus defuncti; L. 24. ff. de V. S. quâ proinde succeditur novissimè defuncto: At successio feudalis est in jus primi acquirentis, & illi, non ultimo possessori, succeditur. Quomodo id fit? Scil. illi quisque succedit, ex cujus dispositione, cujusque beneficio succedit: arg. L. 3. ff. de Interd. Et Releg. L. 67. §. 1. verb: non propria liberalitatis beneficium est. ff. de Leg. 2. Unde, si Te heredem scripsero, ac rogavero ut hereditatem restitueres Titio, hic Titius non tibi, qui restituere teneris, sed mihi, qui ita disposui, succedit, & meus, disponentis, est heres fideicommissarius, non tuus. Denique ex meo testamento, meâq; non tuâ, voluntate succedit. Idq; non tantùm in primo, sed & in ulterioribus fideicommissis, si prior iterum rogatus sit restituere alteri, hic tertio, rursus hic quarto, & sic deinceps in infinitum. Quod accidit in fideicommissis familiæ, quibus proximiores remotioribus in perpetuum, quoad usque aliquis è familia superest, restituere rogati intelliguntur, & omnes succedunt soli primo acquirenti, quippe cujus providentiâ & beneficio succedunt.

§. II. Optimè hoc inducitur ex d. L. 67. pr. ff. de Legat. 2. ubi fideicommissis familiæ relicto, is qui id petit, etsi proximè defuncti testamento quoque id ipsi relictum esset, non tamen ex eo, sed ex altero testamento, primi scil. testatoris, id petere posse dicitur. Et mox in §. 11. asferitur, perinde omnia servanda esse ac si nominatim primo testamento id relictum esset. Atque

ita in §. 2. *Et seqq.* quisq; de familia petere dicitur fideicommissum ex primi testatoris dispositione, atque ei adeo succedit: quod imprimis in §. 5. *d. L. 67.* luculenter repetitur, ibi: *petituris deinceps cæteris ex primo testamento fideicommissum &c.*

§. 12. Sed & alia ratio est, cur iste fideicommissarius non possit videri ultimi possessoris, sed primi disponentis heres esse; scil. quia ipsa bona restitui iussa, nõ sunt ultimi possessoris, quippe cui jus in ea duntaxat ad dies vitæ competiit, momentoque mortis, quo fit successio, extinctum est, quemadmodum desertis verbis id dicitur in *d. L. 67. §. 1. Quid est enim quod de suo videatur reliquisse, qui quod reliquit omnino reddere debuit.* quibus docetur, fideicommissum non fuisse æs defuncti, sed æs alienum; cujus quidem dominium penes defunctum, dum viveret, fuit, verum, cum moreretur, aliis ceu debitor reddere debuit: unde & succesor dicitur creditor defuncti in *d. l. 67. pr. ibi: quasi creditori relictum, & paulo post: fuisse videtur Creditor.* Non potest igitur fideicommissarius proxime defuncti, cujus, cum moreretur, res non fuit, heres videri, cum heres non succedat nisi in res & jura defuncti; *L. 24. ff. de R. 7. L. 62. ff. de V. S.* nec ad hereditatem pertineat quod tempore mortis non fuit in bonis defuncti, sed æs alienum; arg. *L. 73. pr. ff. ad L. Falc.* Neq; verò in æs alienum activè, sed passivè heres succedit, i. e. ita ut solvat, non ut petat vel capiat. *L. 1. C. Si cert. pet. L. fin. C. de Hered. Act. L. 26. C. de Pact.*

§. 13. Quoties autem disponitur, ut res in familia maneat, fideicommissum est; *L. 67. §. 5. L. 69. §. pen. L. 77. §. 11. ff. de Leg. 2. L. 114. §. 5. ff. d. Leg. 1.* nec potest res aliã viã in familia conservari: quando enim possessor rei non potest de ea ita dis-

pone-

ponere ut extraneo relinquat, sed alicui e familia restituere eam tenetur, non potest id non fideicommissum videri, quippe quod est, quoties quis alii restituere jussum est. Unde & feudum omnino est fideicommissi familiae species, quia Vasallus de eo disponere nequit, sed cogitur id restituere ei de familia, qui pacto & providentiâ majorum vocatus atque investiturâ comprehensus est. *1. F. s. pr.* Quaedam tamen in feudis sunt singularia, uti reservatio Dominii directi, & praestatio fidelitatis, aliaque; unde peculiaris ejus forma ac species constituta, moribusq; variè aucta fuit. Verùm origine suâ feuda, & praesertim eorum successio, ad exemplum & imitationem fideicommissorum familiae formata & introducta sunt.

§. 14. Expositum igitur haecenus est, triplici imprimis capite discerni successione hereditariam & feudalem; unde plurimi sequuntur effectus ac jura successione hereditariae, quæ latè recensentur *in Dn. Praesidis Hypomn. Feud. tit. 3. §. 27.*

§. 15. Potest tamen etiam pactis & investiturarum legibus fieri, ut in feudo hereditaria sit successio: cum dominus directus legem traditioni rei suae dare, quam vult, possit. *L. 20. §. 1. ff. de Pact. Dotal.* Unde & effici pactis vel Legibus adjectis potest, ut ipsum feudum sit res hereditaria, quod multo plus est; tum enim non modo omnes heredes succedunt, sed & feudum jam non differt à reliqua hereditate, verùm ejus pars & una hereditas est. Cujusmodi feuda in Germania quidem rarissima sunt, &, excepta fidelitatis obligatione, parum ab allodio distant.

§. 16. Quodsi igitur pactis vel moribus effici potest ut feudum fiat portio hereditatis, & universa successio

cessio hereditaria in eo obtineat, multo facilius erit, ut aliquos saltem effectus feudum mutuetur ex jure vel successione hereditaria, quo proinde casu nec proprium nec hereditarium erit feudum, sed mixtum: de quo nunc agimus. Quin, cum hæc pacta in infinitum propriè variare, & feudum ex jure hereditario vel plurimum multosque effectus, vel parum, prout inter partes lubuerit, trahere possit, hinc variæ species variiq; gradus feudi mixti esse poterunt, & vel ad feudum proprium vel ad hereditarium plus minusve accedere, prout plus minusve ex hereditarii juris rationibus in feudum, pactis & investituræ literis vel moribus quoq; loci, translatum est.

§. 17. Neq; hætenus res in disceptationem venit, nec expositis simplicibus, scil. feudo hereditario & proprio, dubium amplius relinqui potest, quid in genere sit feudum mixtum, scil. quod de utroq; extremo participat, quantulumcunque illud sit. Id ergo si verbis haud ambiguè expressum sit, & mens disponentium, quid nam ex jure hereditario inesse feudo velint, evidens, nihil dubii, nec ulla amplius quæstio remanet.

§. 18. Cæterum summa rei ad duas in genere quæstiones refertur. (1) An ipsum feudum suâ naturâ aliquid hereditarii habeat, adeoque feudum regulariter sit mixtum; quæ Pilei sententiâ fuisse dicitur: an verò totum sit ex pacto & providentiâ majorum, nec fiat hereditariû, nisi ex voluntate partiû & verbis investituræ, quæ est sententiâ cõmuniõ. (2) Hæc admittens sententiâ omnis disputatio in verborum ambiguitatibus occupatur, & quæritur, tum quibus verbis inducatur mixtio, & an mentione saltem heredum in investituris adjunctâ; tum, quid vox illa, *heredum*, operetur, quos effectus patriat,

riat, & quibus finibus concludenda sit, ubi mirum in modum variant.

§. 19. Non possunt verò dextrè hæc antè evolvi, quàm accuratè explicata fuerit gemina quæstio; (I.) An heres, etsi jure proprio rem habeat, tamen in eâ factū proximè defuncti præstare teneatur? Equidem DD. vulgò negant heredem teneri, si non jure hereditario, sed proprio id legis dispositione nitatur, & ex sua personâ, non defuncti petat. *Tiraquell. de Retr. Lignag. §. 1. gloss. 9. n. 13. Hartm. Pistor. Lib. 2. quest. 9. n. 46. Carpz. Jurispr. for. p. 2. Const. 48. def. 3. n. 4. qui allegant inter alios communem DD. sententiam in L. 2. C. Si in fraud. patr. Alii vero id rejiciunt, apud Hartm. Pistor. dict. num. 46. ubi ipse id in medio ferè relinquit, allegatâ rei difficultate: Quia, inquit, materia ista propter varia fctorum responsâ, quæ sibi quodammodo adversari videntur, perplexior est & latius patet quàm ut ad propositum concinnari possit, ideo &c.*

§. 20. Verùm neutra sententia generaliter accepta admittenda, sed varia inprimis negotiorū ratio pensanda est: Aut enim defunctus facto suo se aliis obligavit; Aut aliâ qualibet ratione disposuit. Priore casu non potest teneri heres, si obligatio in persona defuncti non tenuit, cum heres etiam passivè succedat in omne jus defuncti: *L. 62. ff. de R. f. neq; adeò, quod in defuncto non fuit, in herede statui, neq; ab herede obligatio incipere possit: L. 59. ff. eod. non enim esset successio in jus defuncti, sed jus novum ab herede cœptum, quod sine nova causâ inchoari non potest. L. 7. §. 4. ff. de pact.*

§. 21. Neq; movet *L. un. C. ut act. ab hered. & cont. hered.* ubi jus, ne actiones ab herede incipiant, abrogatum est. Agitur enim ibi de legatis & promissis, in tempore post mortem conceptis; quæ olim ex hac ipsâ ratione anxie rejiciebant,

B

bant,

bant, quòd post mortem demùm defuncti ab herede inciperent. Hoc Imperator improbavit, quòd in verborum nimiã religione causam verti crederet; cùm usu constet, formulas illas, *post mortem, tempore mortis, ante mortem*, vulgò promiscuè accipi, & omnibus hisce vocibus intelligi momentum mortis: *arg. L. 132. de V. S.* quod momentum, uti in aliis causis plurimis, ita & hic vitæ tribuitur. Quo proinde sensu cœpisse jam obligatio à defuncto in ipso mortis momento intelligitur, etsi effectum demùm in persona heredis habere incipiat: De hâc itaq; specie non contenditur.

§. 22. Posteriore casu, cùm aliter defunctus disposuit, vel uterq; (defuncto & heres) habuere liberam planè ita agendi facultatem, vel alteruter, vel neuter: Si uterq; indubium est, heredem factum defuncti præstare debere, nec curandum, jure proprio an hereditario habeat: nam & facultas ita agendi ipsis fuit & voluntas, quam heres adeundo declarat; quæ plana est ratio, & exprimitur in *L. 7. C. de Lib. caus.* Illa enim ratio quam Jac. Sculres *ad Modestin. quest. 140.* affert, & adeo prolixè per 16. limitationes deducit, quod propriam turpitudinem allegans non sit audiendus, non quadrat, quam nec probat *Hillig ad Don. lib. 20. cap. 12. lit. N.*

§. 23. Sed hoc ita, si actus jure subsistat; si enim nullus est, heres id factum non præstat, etsi in utriusque potestate illud sit: Uti, si defunctus Codicillos imperfectos, v. gr. coram duobus testibus, fecerit, heres ex iis nihil præstat, licet & ipse, si velit, voluntatem implere possit, & defunctus nulliter (ut vulgò loqui amant) quidem agat, sed agere ita potuerit: perinde ut stipulatio, si non fiat actu continuo, nulla quidem est, sed partes tamen licitè ita de re suâ agere possunt, nec aliâ fit injuria, & si velint, servare fidem possunt. *arg. L. 20.*

§. 1. ff. de pact. dot. Ita si dominus proprietatis ædibus fructuariis consentiente fructuario servitutem imponat, nihil sit illicitè, quia de sua re agunt, sed actus tamen nullus est. *L. 15. §. fin. ff. de Usufr.* Ad tale itaque factum defuncti nec heres adeundo obligatur: etsi enim, si velit, præstare possit, non tamen efficere potest ut actus, qui nullus est, non sit nullus; cum negotiorum formæ non sint in arbitrio privatorum, sed lege constituantur. Generaliter itaque tenendum, ad factum defuncti, quod jure nullum est, heredes non teneri, in quàm sententiam quoque discedunt *DD. comm. vid. Ant. Gabriel. Lib. 6. Tit. de Reg. Jur. Conclus. 11. in fin. Af. flic. Dec. 240. n. 8. Cacheran. Dec. 180. n. 2. & seqq. Grammat. Decis. 93. n. 8. Hartm. Pisl. Lib. 4. quest. 7. num. 12. 13. Hillig. ad Donell. d. c. 2. lit. N. licèt jusjur. defuncti accesserit. Cacher. & H. Pisl. dict. loc.*

§. 24. Si verò alteruter, & quidem defunctus, disponere de re non potuerit, heres autem possit & negotium subsistat, vid. *thes. 3.* uti si res ipsius sit heredis, certum est, hunc teneri: *L. 14. C. de Rei Vind. L. 24. C. de Donat. L. 1. §. 1. ff. de Exc. Rei vend. Mev. P. 2. Dec. 147. n. 4. & seqq. Carpz. P. 2. Const. 48. def. 3. n. 1. 2.* cum adeundo consentiat, & negotium valeat. Idemque adeò est si de re alienâ negotio valido disposuerit: *vid. Supr. §. 20.* etsi enim neuter, & nec heres de ipsâ re disponere possit, si tamen negotium subsistat, actio valet non in rem sed in personam, & pretio, vel eo quod interest, præstando satisfit, quod est in potestate heredis. Quâ ratione, & legatum rei alienæ heres tenetur præstare: §. 4. *Inst. de legat.* quòd enim, si nesciverit testator esse alienam, heres non teneatur, *d. §. 4.* non est ex defectu facultatis, potest enim testator rem alienam legare,

gare, sed quia non videtur voluisse se alienā nescivit. *Disp. sub Dn. Praef. de Legato rei propriae & aliena habita Cap. 2. §. 9.* Unde apparet, quantopere à juris ratione per summam ignorantiam aberraverit Pontifex, in jus Civile inductus in *c. fin. X. de Testam. vid. dict. Disp. d. loc. §. 10.* Atenim hæc ita, nisi legibus heredi remedium contra defuncti voluntatem expressè concessum fuerit, uti querela inofficiosi testamenti; *tot. Tit. & passim de inoff. Testam. inofficiosæ donationis; tot. tit. C. de inoff. donat. inofficiosæ dotis; tot. tit. C. de inoff. dot.* revocationes eorum, quæ in fraudem heredis factæ sunt, *L. 2. C. Si in fraud. patr. actiones ad supplementum legitimæ, L. 30. C. de inoff. Testam. &c.* His enim casibus non tenetur heres factum defuncti præstare, etsi possit; sed jure sibi concessio uti potest. Et multò magis, si actus plane sit nullus, uti filii bona maternā à patre alienata, *L. 2. C. de Bon. mater. vel ex priori matrimonio quaesita, L. 2. & seqq. de sec. Nupt.* revocare possunt: uti & uxor, etsi heres, fundum dotalem alienatum potest. *L. 13 §. fin. ff. de fund. dot.*

§. 25. Econtrario verò, si heres non potest ita ut defunctus voluit agere, certum quoque est, eum nec ad factum illud teneri; cum constet neminem teneri ad id quod factio vel jure ipsi impossibile est. *L. 35. L. 137. ff. de Verb. Obl. L. 27. §. 3. 4. ff. de pact.* Et multò magis itaq; si neuter ita disponere potuerit, nec defunctus nec heres, hic factum defuncti præstare compellitur. Quamquam hi duo casus vix discernuntur, nam & in priore, quod heres agere nequit, id nec defunctus ei agendum injungere potest. Atque adeò illud ex latè deductis primum constat, heredem non obligari ad præstandum defuncti factum, quoties vel actus est ipso jure

jure nullus, *sup.* §. 23. vel defunctus & heres, vel heres saltem ita agere, ut defunctus disposuit, non potest.

§. 26. Unde certum est, imprimis in rebus, quas heres aliis restituere debet, non teneri eum defuncti dispositionem sequi, ejusque factum præstare, ut in fideicommissis familiae. Hoc enim adeo ex antè deductis sequitur, ut in contentionem cadere nequeat, cum de tali re, fideicommissis obnoxia, nec defunctus nec heres disponere possint.

§. 27. Atque hoc in fideicommissis familiae certi juris esse, patet ex *L. 67. §. 3. ff. de leg. 2.* ubi defunctus fideicommissum familiae relictum extraneo reliquerat, quaesitumque fuit, an heres ejus id revocare possit, an verò defuncti factum præstare teneatur? Et responsum est, *in d. §. 3.* perinde fideicommissum ex primo testamento petendum esse, ac si nemo de familia heres extitisset. Idemque deciditur ita, si pars saltem rei fideicommissis gravata, alienata est, nam & hanc heres revocare potest. *d. L. 67. §. 4.*

§. 28. Sed & universali quadam regula & in genere statutum est in *L. 3. ff. de Interdict. & Releg. qua liberis non à Patre, sed à genere, à civitate &c. tribuuntur, factis Patris eis non auferri: addita ratione; non enim haec patrem, sed majores ejus eis dedisse.* Quae ratione, cum & fideicommissa familiae non Patris seu proxime defuncti, sed majorum beneficio teneantur, sequitur, in his quoque causis heredes ad factum defuncti non obligari.

§. 29. Atque hoc ipsum, quod in fideicommissis familiae haeredes non teneantur factum defuncti præstare, communi DD. sententia traditur: prout plurimis id autoritatibus probat Knipschild *de fideicommiss. famil. c.*

ii. n. 394. & seqq. atque ad alia similia jura, v. gr. ad emphyteuses antiquas extendit n. 396 & seqq.

§. 30. Unde inferitur omnino II. quæstionis (vid. §. 10.) decisio, hujusmodi jura majorum, quæ defunctus post mortem aliis restituere rogatus est, non esse partem hereditatis, sed ab ea planè separata atque discreta: perinde ut, cum heredi ab alio quàm à defuncto legatum vel fideicommissum relictum fuit, illud nulla ratione pars hereditatis defuncti videri poterit. Nam & fideicommissa familiæ & similia majorum jura heres ex alio testamento seu dispositione, & ab alio capit testatore, quàm à defuncto; scil. ex testamento seu dispositione primi constituentis: idque luculenter in specie fideicommissi familiæ exponitur in d. L. 67. pr. ff. de Leg. 2. verb: *Postea quam electus est, ex alio testamento petere potest.* Et d. L. 67. §. 1. verb: *Ac si nominatim ei primo testamento relictum fuisset.* Et §. 5. verb: *Siquidem prior testator ita fideicommissum reliquisset.* Et mox: *petituris ceteris ex primo testamento* &c. Ex quibus evidens planè est, fideicommissum familiæ ex alio priore testamento, & ab alio priore testatore quàm à defuncto peti, atque adeò neutiquam posse videri partem hereditatis defuncti.

§. 31. Cum igitur nihil planè dubii relictum, sed liquidò satis constare arbitremur, heredem in rebus, quæ jure majorum ipsi debentur, & quas defunctus restituere tenetur, non teneri hujus factum præstare, neque has res esse partem hereditatis defuncti, inevitabili consequentiâ inde efficitur, si rationem juris communis hactenus demonstratam sequimur, nec in feudis antiquis teneri heredem parère facto defuncti, nec illa ullatenus esse partem hereditatis defuncti; cum & illa ex jure & dispositione majorum capiantur, & reapse
sunt

sint species fideicommissi familiæ, quippe quæ possessor post mortem tenetur iis restituere qui ex dispositione majorum, iusto succesionis ordine, ad ea vocati sunt. Nec alia differentia est, quàm quòd in feudis dominium directum reservetur, & fidelitas jurari soleat, id quod in nostra quæstione nihil mutat. Et sanè in omni jure feudali, hæc ratio integra atque hoc jus commune salvum est in specie agnati succedentis: iste enim, etsi defuncti heres sit, tamen nec ad æs alienum (adeoque nec ad ejus factum vel ex ejus facto) tenetur, nec hereditatem cum feudo retinere cogitur, sed illà repudiatà feudum retinere potest, ut constat ex 2. F. 45. in pr. & 2. F. 51. §. Filius. cum tamen nemo partem hereditatis repudiare, & partem retinere possit, sed necessariò tota vel adeunda vel repudianda sit. L. 1. L. 2. L. 53. §. pasf. ff. de acquir. vel omitt. hered.

§. 32. His ita deductis ac demonstratis, ostensoq; quod utramque paginam facit, jura beneficio majorum accepta, atque adeò & feuda, non esse partes hereditatis defuncti, nec hujus in iis factum præstandum esse, in proclivi jam est admodum, omnem feudi hereditarii mixti rationem pernoscere. Ex genuina enim Juris ratione & propria feudi natura dicendum erat, nec filium in eo factum Patris, etsi ejus heres sit, præstare teneri; cum filio illud ex alia dispositione & ex beneficio majorum, non patris, debeatur. *per jam tradita.* Cum igitur jure feudali hæc ratio aliquà sui parte immutata sit, constitutumq; ut filius, qui Patris heres est, æs ipsius alienum factumque præstet. Vid. Dn. Præsidis Jurisprud. publ. c. 27. §. 23. & 24. nec feudum ab hereditate separare possit, *dict. text. in 2. F. 45. in fin. & d. §. filius.* hoc ipso naturæ feudi admixtum fuit aliquid

aliquid hereditarii; quia hoc ipsum id est in quo consistit juris vel successione hereditariae ratio, quod heredes in omne jus defuncti & in ipsum aēs ejus alienum, ipsique adeo Patri suo succedat, ac proinde feudum pro portione hereditaria habeatur, nec ab ea separari queat: quæ omnia mutuatur feudum ex jure hereditario. Vid. *supr.* §. 9. & 10. Feudum itaque, prout jure feudali formatum est, in personis filiorum, si heredes sint, est hereditarium; in personis agnatorum, & si heredes quoque sint, non est, sed ex pacto & providentia majorum, ut vocant: unde & soli filii, non verò agnati heredum nomine veniunt. *Dn. Praesid. Jurisprud. publ. d. loc.* §. 23. *vid. sup.* §. 8. Atque hac ratione feudum juxta formam ac naturam, quam jure feudali accepit, erit mixtum ex hereditario, & eo quod ex providentia majorum dicitur, atque ita hereditarium mixtum.

§. 33. Et hoc quidem est feudum illud quod Pileani hereditarium mixtum vocant: (Pileo enim antiquo Glosatori vulgò ea sententia tribuitur, vid. *Struv. Synagm. Jur. Feud. cap. 4. aphorif. ii. n. 1.*) idque sive adjecta sit vox *heredum*, ita, *pro Te & Heredibus*, sive non adjecta, sed simpliciter feudum *Tibi* concessum, quod *informe* vocant. His igitur non superest aliqua species feudi quod purum sit ac ex mera providentia majorum, quam quod expressè datur, *pro Te & liberis*, vel *posteris*, vel *Tuis*, vel *generi*, &c. Hoc enim quisque liberorum vi ipsius dispositionis perinde capit ac ipse cui primo concessum fuit; cum liberi, aequè ac ipse, specialiter nominati & vocati sint, & ideò ut heredes ejus in hac re spectari non possint.

§. 34. Sed hoc feudum usu ac moribus simpliciter dicitur ex pacto & providentia, & in literis investiturarum

rarum pro tali habetur: quippe in quibus usu curiarum feudaliū perpetuo feudum, quod confertur den Mann-Lebens Erben/dicitur dari zu rechtem Mann-oder Stamm-Leben. *Vid. Dn. Praef. in Hypom. feud. tit. 3. §. 32.* Nec id adeo improbandum videbitur ei, cui in mentem venit, hanc feudo formam jure feudali datam esse, etsi simpliciter datum fuerit; adeoque huic ipsi feudo, quod totum unice ex pacto & providentia majorum datur, ex ipsa lege inesse ut filii tanquam heredes succedant. Quicquid verò sit, disceptatio ista de solo nomine est: *Vid. Illustr. Dn. Praef. Hypomn. Jur. Feud. tit. 3 §. 40. n. 2.* re enim & effectu nihil interest, nec discedit usus à Pileanorū sententia nisi nomine: & utrinque per hoc feudū nō aliud intelligitur quàm quod exponitur *in 2. F. 45.*

§. 35. Hæc cum omni hæctenus scrupulo careant, videamus paucis quid contrariæ sententiæ, quæ DD. communis est, autores velint, & quantopere illi fident ac fluctuentur. Isti igitur, cum statuunt, feudum, quale hæctenus expositum est, esse tantum ex pacto & providentia majorum, in quo usus fori feudalis iis assentitur, quærunt, quodnam igitur sit hereditarium mixtum, & quid illud tum ab altero, quod ex pacto & providentia dicitur, tum à mere hereditario differat, quibusque quasi characteribus internosci ab invicem hæc feudorum genera possint. Quæ in re ita confligunt DD. ut nulla in Oceano inter medios scopulos tam anceps navigatio sit, quàm est hæc DD. disputatio & contentio. Nec mirum, cum absque norma seu regula in verbis hereant, & opiniones sequantur. In nulla verò materia major vel verborum sit ambiguitas, vel opinionum varietas ac contentio. De quibus imprimis operose tractant Hartm. Pistoris *Lib. 2.*

C

qu. 1. 2.

qv. 1. 2. 3. item qv. 13. 14. Et ibi Sim. Piff. in Addit. Rosenth. de Feud. cap. 3. concl. 33. Et seqq. Et cap. 7. concl. 20. Et seq. Frider. à Sande Comment. ad Consuet. Feud. tit. 3. cap. 2. Et §. 1. 2. 3. 4. 5. Vultej. de Feud. Lib. 1. cap. 8. num. 23. usq. ad num. 34.

§. 36. Communiter verò tradunt, ut feudum fiat mixtum, (quale & intelligunt, quando hereditarii mentio fit) pendere à solo nomine heredum in investitura adjecto, ita: *Tibi Et heredibus tuis*. Ita ut hoc solo nomine *heredum* feudum mixtum constituent, & ab aliis feudorum generibus discernant. Hartm. Piff. Lib. 2. qu. 1. n. 44. Et seqq. Et qv. 3. n. 23. seqq.

§. 37. Verùm quid certi solidiq; credi potest inesse sententiæ, cujus omne principium unicumq; fundamentum est vocula tam anceps, tamque incertæ variæque significationis, ut in hac materia est vox *heredum*: quam in quem sensum acceperint primi Auctores, an sensu communi, ut solet; an feudali, pro præsentī materia; & an hoc nomine personam tantum heredis demonstrare, an verò & rei in feudum datæ titulum qualitatēq; hereditariam induere voluerint, incertum adeò obscurumq; est.

§. 38. Quin & quid operetur adjecta ita dictio *heredum*, seu quis sit effectus, quæ jura feudi, quod adjectione ista voculæ *heredum* mixtum factum est, quibusque illud finibus circumscriptum sit, adeò confusa, varia, adversantibus invicem sententiis implexa DD. doctrina est, ut horreat propè animus obfitam adeò

----- densamq; atra caligine silvam ingredi.
Quin eò deventum est, ut nonnulli voce *heredum* fieri merè hereditarium velint, idque cum hereditario mixto commisceant. Vid. Hartm. Piffor. Lib. 2. qv. 3.

num. §. 8. seqq. Enimverò destructâ illâ sententiæ hujus arce ficulneâ, gratis scil. adsumptâ illâ vi ac potestate voculæ *heredum*, quæ sola unicum ei prælidium est, omnis illa tam vasta quæstionum opinionumque confligentium seges uno quasi ictu præciditur, totaque causa feudi mixti plana omnino & evidens evadit.

§. 39. Etenim, positâ feudi naturâ & propriâ formâ, qualis evidenter satis exponitur in 2. Feud. 45. sive illud feudum *hereditarium mixtum* dixeris, propter effectum hereditarium, qui in personis filiorum succedentium apparet, uti Pileani; sive *ex pacto & providentia*, uti usu hodierno, & in literis investiturarum; *Vid. sup. §. 34.* omnes scrupuli cessabunt. Illa enim forma ac natura feudi tenaciter retinenda est, donec ex investituræ verbis, vel per se claris vel usu constanti certam significationem nactis, non verò ambiguis, appareat, doceaturque, ab ea recessum, & aliquid juris hereditarii, & quidnam, in feudo constitutum, aut merè etiam hereditarium factum fuisse; alioquin tutò instituitur regulæ & propriæ naturæ feudorum. *per vulgata.*

§. 40. Ea verò mutatio nullâ re minùs quàm ambigüâ illâ & adeò hic ancipiti ac incertâ voculâ *heredum* ostendi potest; omnium minimè autem ex ea constare, ipsam rem quoque hereditariam ac partem hereditatis, quin feudum ipsum merè hereditarium factum fuisse: quo nihil est quod magis à praxi Germaniæ abhorreat; sed nec quod magis à ratione juris, cum heredibus utriusque & legata ac fideicommissâ dari, aliique tituli singulares in eos conferri possint, quæ non sunt pars hereditatis, nec jure hereditario capiuntur. *arg.*

L. 91. ff. ad L. Falc. Vid. Illustr. Dn. Præsidis Hypomn. Feud.
tit. 3. §. 36. not. 2.

§. 41. Securè igitur planissimeq; procedi in decidendis causis potest, si in feudis nullus effectus hereditarius, præter eum qui ex ipsa natura feudi est, admittatur, nisi satis manifestè ex investituræ tabulis appareat, alios præterea effectus, & plus juris hereditarii feudo tributum fuisse; uti, si additum fuerit, ut quoties feudum in personas heredum cadit, sit pars hereditatis: vel ut ad omnes heredes ab intestato, vel etiam ad feminas devolvatur. &c. Et sic quoq; si aperte detur in feudum merè hereditarium, zum rechtten wahren Erb-Lehn/ Erb-Guth.

§. 42. Sunt verò & formulæ, quæ usu certam significationem adeptæ sunt; uti cum datur zum Erb-Lehn/ intelligitur hereditarium mixtum, in quò & fœminæ post masculos succedunt: Vid. Illustr. Dn. Præsid. Hypomn. Feudal. tit. 3. §. 41. etsi vox illa ipsissimum feudum hereditarium significet. Qui abusus inde natus videtur, quòd DD. vulgò, cum de hereditario feudo loquuntur, intelligunt illud quod hereditarium mixtum, non quod merum est. Hartm. Pistor. d. qv. 1. §. 41. Quin imò, ut jam dictum est, confundunt propè mixtum & merum, ita ut mixto omnes effectus hereditarii meri tribuant; hoc solo excepto, quòd mixtum non transeat ad heredes extraneos. Hartm. Pistor. d. qv. 1. n. 48. Qui error etsi usu non receptus sed improbatum sit, hætenus tamen in consuetudinem vertit, ut voce hereditarii feudi, Erb-Lehn/ intelligatur in dubio hereditarium mixtum potiùs quàm merum. Etenim effectus alius inde usu non oritur, quàm ut filia quoq; succedere possint, & regulariter quidem non nisi post masculu-

masculos. Vid. Illustr. Dn. Præsid. Hypomnem. Feud. alleg. loc.

§. 43. Pariter, usu quoque firmatum est, ut formulâ, *heredibus quibuscumq;*, feudum merè hereditarium intelligatur. Vid. DD. longa *seric alleg. ap. Hartm. Pistor. d. qv. i. n. 44.* Etsi verum sit, ex horum verborum sensu genuino neutiquam id inferri: non enim semper quod heredibus relinquitur, est hereditas vel pars hereditatis, cum ipsi titulo singulari quoq; legati, fideicommissi, donationis, tum mortis causâ tum inter vivos, concedi res possint. Ut proinde ex eo quod feudum omnibus heredibus relictum sit, non sequatur, esse partem hereditatis, uti est omne feudum merè hereditarium.

§. 44. Non est igitur ut plura ad explicationem feudi mixti afferamus: illud enim quod ex lege investituræ formatur feudum mixtum ex ejus tenore & verbis interpretandum est; alterum autem, quod mixtum dici potest propter effectus hereditarios qui in personis liberorum ipso jure feudali constituti sunt, quale sit fati constat.

§. 45. Sed & illius quæstionis mira variatio est, an feudi mixti successor heres quoque esse debeat? Alii defuncti; alii primi acquirentis; alii utriusque; alii neutrius; alii alterutrius heredem esse debere contendunt. Vid. Illustr. Dn. Præf. Hypomn. Feud. tit. 3. §. 32. Verùm hæc quasi multorum capitum hydra iisdem telis jam confossa est: cum enim omnis hæc contentio-nium plena varietas à solo nomine *heredum* sit, illo rejecto certum est agnatum succedere in feudo, etsi nec defuncti nec primi acquirentis sit heres: 2. F. 45. 2. F. 51. §. *filius*. nisi in investitura aliud evidentè expressum fue-

fuerit. Nam nec defuncti heres esse tenetur agnatus, quia ex alterius dispositione feudum capit; nec primi acquirentis, quia is non hereditatem, sed feudum, quod res singularis est, reliquit; quod adeo ipse non minus ac si legatum vel fideicommissum ipsi relictum esset, capere sine hereditate potest, praesertim, cum, ut saepius tractatum est, feudum sit fideicommissi species, quod acquiri sine hereditate posse constat. Sed & filius, licet ut heres in feudo succedat *dd. loc. si tamen hereditas ipsi delata non est, uti si à Patre exclusus fuerit, feudum tamen retinet, nec eo privari à Patre potest. Vid. Struv. Syntag. Jur. Feud. Cap. 9. Aphor. 12. num. 8. Georg. Obrecht. de Jure Feud. Lib. 2. n. 58.*

§. 46. Sed hic pedem figimus, sufficit enim fundamenta & principia rei implicatissimae summo digito à nobis demonstrata esse. Plura quidem adduci potuissent, sed limites exercitii Academici transfilire nonolumus. DEO Opt. Max. pro clementissima studiorum directione gratias immortales agimus, Ejusque Clementiae & porro illa vitamque omnem commendamus. Te verò, B.L. omnia in meliorem partem interpretaturum, speramus.

COROLLARIUM I.

De Effectu pacti liberatorii hodierno.

PACTO liberatorio, v. gr. ne petatur, actionem ope exceptionis, non ipso jure tolli constat. Id autem hodie abrogatum mutatumque esse probari debet, quod verò hactenus nequam probatum fuit.

Cre-

Creditur autem ita probari: *Ex omni pacto obligatorio hodie datur actio. Ergo & omni pacto liberatorio ipso jure tollitur actio: Quia contrariorum contraria est ratio.* Verum eadem ratione inferri ita posset: Jure communi ex obligatorio pacto hypothecæ, donationis, dotis, constituti, nautici fœnoris, usurarum frumenti mutuo dati, data fuit actio: Ergo & liberatorio pacto hypothecæ &c. seu ne hypothecæ, donationis, dotis, constituti, fœnoris nautici, usurarum prædictarum nomine agatur, actio ipso jure sublata fuit. Hoc verò falsissimum esse constat, cum jure communi nullis pactis liberatoriis actio ipso jure extinguatur, nisi paucis illis, ne furti vel injuriarum agatur. L. 27. §. 2. *vers. Sed si pactum ff. de Pact.* ubi & illa sola excipiuntur & specialissima ejus rei ratio redditur. Nec de eo ulla lis est. Porro, si quis tam crude hoc cæreo Brocardo *Contrariorum contraria ratio est*, inniti velit, quid non inferri inde posset? Nigrum esse & album esse contraria sunt: Nigrum verò visibile est: Album ergo contrariâ ratione invisibile foret. Ægrotum & sanum esse, itidem contraria sunt: Cum igitur ægrotus vivat, sanum econtrario mortuum esse oporteret. Et sic innumera alia quæ ab omni ratione abhorrent. Sobriè itaque generalibus his illimitatisque scholarum enunciatis utendum; & illud, quod nunc affertur, *Contrariorum contraria ratio est*, ut aliis pluribus modis, ita præcipuè sic limitandum est, ut non valeat 1. nisi quatenus & in quo contraria sunt; & 2. nisi alia alterius membri ratio sit. In quæ duo nunc impingitur. Nam 1. pactum obligatorium & liberatorium in eo tantum contraria sunt, quod illò promisor obligetur, hòc liberetur; in modo autem justa oppositio non est; nec in obligatorio aliquid est, cui

clau-

clausula, *ipso jure*, tanquam contraria opponatur. 2. Alia ratio est in altero membro: Obligatoria enim assistentiam juris habent à Canonibus & moribus, ut actionem producant; liberatoria eam non habent ad hoc ipso jure liberent.

Altera probatio videtur. Magis liberari debitorem quàm obligari. Quia liberatio favorabilior. Resp. 1. Liberatur omnino: de modo liberandi tantum quæritur. Resp. 2. Ita inferendum quoq; esse jure communi debuisse plura pacta legitima liberatoria esse quàm obligatoria; cum contrà, plura fuerint obligatoria. Resp. 3. Ex ejusmodi brocardicis nihil solidè inferitur, sed ad ea refugium tantum est in casibus planè dubiis, qui nulla alià ratione certiore decidi possunt.

COROLLARIUM II.

Damnum quod L. Aquil. vindicatur est ex vero maleficio, L. 4. ff. de Obl. qua ex del. eademq; lege non minus tenetur qui culpâ, quàm qui dolo fecit. §. 3. §. 14. f. de Leg. Aquil. L. 30. §. pen. ff. eod. & ubiq; sine ulla differentia doli & culpæ damnum ex ea lege vindicatur. L. 2. pr. & tot. tit. ff. & f. eod. Negatur igitur, si damnum culpâ datum sit, esse ex quasi delicto, quod probandum est non asserendum: nec jure probari poterit.

COROLLARIUM III.

Nec consensus de permutando, nec ipse contractus innominatus hodie excludit pœnitentiam. Obj. At stipulatio eam excludit, cui effectu comparatur hodie pactum. Resp. Utrumq; negatur, & consensum de permutando esse pactum: & pactum hodie habere effectus stipulationum.

FINIS.

SUMMARIA.

- §. 1. **S**uccessiones à naturâ non videntur satis definitæ; hinc varia apud varias gentes ratio succedendi.
- §. 2. In eodem populo, variis temporibus, varia & alia earum iura esse solent.
- §. 3. Omnium suffragio & naturæ lege liberi suis parentibus succedunt: quod tamen jus quedam gentes turbârunt.
- §. 4. Naturâ soli masculi ad imperia vocantur: Lyrii tamen & Cantabri solas filias ex asse heredes fecisse dicuntur.
- §. 5. A natura rationibus destitunt, qui imperia voce domini, patrimonii, ususfructus, comprehendunt.
- §. 6. Successionum materia variis difficultatibus involuta est.
- §. 7. Potest verò omnis successio ad duo genera referri: ut alia sit hereditaria, alia feudalis.
- §. 8. In feudis olim nulla successio, sed sensim illa introducta: hodie ad omnes primi acquirentis liberos masculos extensa est.
- §. 9. Successio hereditaria fit in omne jus defuncti: Feudalis in rem singularem.
- §. 10. Illâ succeditur novissime defuncto: hæc primo acquirenti.
- §. 11. Idem obinet in fideicommissis familie.
- §. 12. Hinc proxime defunctus fidei-
- commissum tanquam es alienum restituere tenetur.
- §. 13. Feudum est fideicommissi familie species, hinc vasallus de eò disponere non potest, sed tenetur illud proximo de familia restituere.
- §. 14. Effectus successionis hereditariæ remisivè.
- §. 15. Potest pacto & lege investiturarum etiam in feudis successio hereditaria in totum induci.
- §. 16. Multò magis igitur, partibus ita disponentibus, quidam saltem effectus successionis hereditariæ.
- §. 17. Inde constat, quid sit feudum mixtum in genere.
- §. 18. De eò duo quaruntur: 1. An feudum suâ naturâ aliquid hereditarij admittum habeat; an tantùm ex verbis investituræ? 2. Si hoc, quibus verbis id inducatur? quæ totalis in verborum ambiguitatibus vertitur.
- §. 19. An heres factum defuncti, si jure proprio succedat prestare debeat, ambigua inter DD. questio est, quam alij affirmant, alij negant.
- §. 20. Ultrag, sententia rejicitur, & distinctione plenius res evolvi- tur. Scil. defuncto non obligato certum est nec heredem teneri.
- §. 21. Respondetur ad L. un. C. ut act. ab hered. & cont. hered.
- §. 22. Si & defunctus & heres libe- ram


- ram ita, ut defunctus disposuit, agendi facultatem habuere, heres factum defuncti prestare planè tenetur.
- §. 23. Si actus ipso jure nullus sit, heres, licet possit, prestare tamen non tenetur.
- §. 24. Si subsistat, heres, si ipse saltem prestare possit, tenetur.
- §. 25. Si heres non possit prestare, certum est nec teneri; nedum si nec defunctus potuerit.
- §. 26. Hinc in rebus, quas heres restituere tenetur, factum defuncti non prestat.
- §. 27. & 28. Probatur hoc exemplo fideicommissi familie, & alius.
- §. 29. Quod & communi DD. sententia confirmatur.
- §. 30. Hinc sequitur ea, quæ defunctus ex alterius dispositione alii restituere debuit, non esse partes hereditatis ab illo relicta.
- §. 31. Feuda esse species fideicommissi familie; & hinc nec in feudis antiquis vassallo tenetur factum defuncti prestare, nec sunt illa pars hereditatis.
- §. 32. Unde inferitur, cum ipso jure feudali feuda in personis filiorum sint pars hereditatis & filii in iis factum patris prestent, id assumptum ac mutuatum esse ex jure hereditario.
- §. 33. Hanc causam esse, cur Pileani feudum, prout jure feudali formatum est, dicant hereditarium mixtum. Quodnam ipsis sit feudum merum ex pacto & pro.
- §. 34. Moribus tamen feudum forme sue relictum, dici ex pacto & providentia: utrumq; bene.
- §. 35. Refertur sententia contraria, quæ communis dicitur.
- §. 36. Ea solâ voce heredum pugnat.
- §. 37. Ex hoc verbo propter variationem in hac materia ejus acceptionem ambiguumq; sensum nihil certi & solidi inferri posse.
- §. 38. Nec fines hujus feudi eâ voce constitui, nec effectus aut jura ejus definiri posse.
- §. 39. Has contentiones omnes sospiri admitti feudi naturâ ex præscripto 2. F. 4. donec alia lex feudi ex investituris clarè probetur.
- §. 40. Id non fieri adjectâ voculâ æquivoçâ heredum.
- §. 41. Præter illud aliud hereditarium magis mixtum non esse statuentum, nisi certis investituræ verbis doceatur amplius quid admixtum vel mere hereditarium esse.
- §. 42. Formularum sensum vel proprietate vocum vel usu certum fieri. Et cur voce Erb. Lehn/ intelligi in investituris hodie soleat mixtum non merum; & quid illud operetur?
- §. 43. An formula, quibuscunq; heredibus inferat feudum mere hereditarium.
- §. 44. Feudum, quod ex investitura sit mixtum, ex ejus natura interpretandum est.
- §. 45. An successor feudi hujus heres esse debeat vel defuncti vel primi acquirentis, acerrime contenditur, sed in vanum.
- §. 46. Conclusio.

ULB Halle 3
003 499 731



sl-







DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 1701, 3a
DE

FEUDO HEREDITARIO MIXTO,

QVAM
DIVINI NUMINIS AUSPICIO
Ex DECRETO ET AUTHORITY MAGNIFICI
CTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRIVIADRINA,
PRÆSIDE

P. 332
DN. HENRICO COCCEJO,

JURECONSULTO CELEBERRIMO,
SERENISS. ET POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSI-
LIARIO, & AB AULÆ REGIÆ CONSILII,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO, PROFESS. PRIMARIO,
& h. t. FACULT. JURID. DECANO,

ANTEA
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGH REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

DN. PATRONO ac FAUTORE SUO AD CINERES DEBITA
OBSERVANTIA COLENDO,
PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROq; JURE HONORES AC PRIVILEGIA
ritè ac solenniter consequendi,

Die XVI. Julii An. MD CCI. Horis ante- & Pomeridianis,
Publice Disquisitioni offert

JOHANN FRIDERICUS Säger/
Müncheberg. March.

Francofurti ad Viadrum, Literis Christophori Zeitleri.

